

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (51)

14.1. De visitatione canonica (2)

Die 3^o m. Febr. a. 1930^o Archiabbas Norbertus Conventum certiorum fecit Abbatem Primatem in Archiabbatiam Ottiliensem venturum esse, ut visitationem canonicam institueret. Hac in annuntiatione expressis verbis mandatum protulit, ne de hac re quicquam in publico innotesceret.¹

In monasterio ipso paulatim intranquillitas quaedam nervosa diffundebatur, cum visitatio propter condiciones difficillimas instans esset extraordinaria et nesciretur, quid exspectandum esset atque quales effectūs eadem denique exsereret.² Hi sensūs perturbati per totum tempus visitationis et ultra eandem quōque manserunt similes. Archiabbas Norbertus extrinsecus se praebuit tranquillum atque positivum, etiam erga Abbatem Primatem, cui affirmavit se *«gaudere hanc rem tandem aliquando solutum iri, et se praeterea de hac re gaudere liberationem a munere meo esse propinquam»*.³

1 Cfr Ann. Ottil., 3.2.1930 (ASO, A.3.4.4). - Hōc in conexū Archiabbas Norbertus insuper dixit se dolere generaliter nimis multas res internas foras transferri, id quod mancum sensum familiarem monstraret. Annalista hōc locō sententiam Norberti Weber expressis verbis affirmavit. - Hōc malum non facile reprimi posse etiam apparet ex relationibus priorum visitationum, quibus talis modus se gerendi inopportunos monebatur.

2 Haec condicio sensuum atque haec atmosphaera etiam commemoratur in Ann. Ottil., 10.2.1930 (ASO, A.3.4.4). - Annalista P. Reinholdus Hoch addidit haec: *«Num omnes, num multi sibi consciī sint, quali efficiētiā amplā consultationes instantes domui matri futurae sint?»* (Textus originaliter Theodiscus).

Episcopus Thomas Spreiter se contentum esse dixit, quod tandem inquisitio fieret (epistula Thomae Spreiter die 4 m. Mart. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 595)). Doluit quidem Archiabbatem Norbertum eā de causā fortasse a munere se abdicare debere (quamquam ipse ex annis hōc commendaverat), sed nihilominus ei persuasum erat omnia eodem modo progressura esse, nisi Norbertus Weber resignaret. Abbas episcopus Bonifatius Sauer scilicet necessitatem huius visitationis vidit, sed Abbatem Primatem rogavit, ut papam deprecaretur, ne idem modo nimis duro Archiabbatem tractaret (epistula Bonifatii Sauer die 18 m. Mart. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 585)). Nam - sic eius argumentum - *«per multos annos erat et est vir crucem vere gerens»*. (Sententia originaliter Theodisca). Nutans in cogitandi modo rationali et positivo addidit effectūs visitationis fortasse prosperiores fore, quam ipse speraret.

3 Epistula Norberti Weber die 3 m. Febr. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578). - Sed Abbati Primati hic etiam confessus est sibi magis magisque clarius fieri se visitatione habita munus suum non iam retinere posse. Eius propria discernitio interna tamen denuo animadvertitur sententiā hac: *«Multi hunc eventum, qui ab aliis tamen*



Abbas Simon Landersdorfer.

Abbas Primas Fidelis von Stotzingen Abbatem Simonem Landersdorfer⁴ Schirenssem⁵ rogaverat, ut adiutor atque covisitor ipsum ad officia sua in Archiabbatiā Ottiliensi exanclanda comitaretur.⁶ Ottiliani ipsi gaudio non vere excitati erant Abbatem Simonem unum ex visitatoribus esse, cum eius iudicium quod ferebatur durum timerent, quod iam aliis in visitationibus manifestatum esset.⁷ Uterque visitator secretarium attulit, nempe Abbas Primas cellerarium Lacensem, P.rem Desiderium Schmitz, et Abbas Simon cellerarium Schirenssem, P.rem Paulus Ehle.⁸ Illis duobus viris specialiter impositum erat, ut in problemata pecuniaria Archiabbatiae et «Culturalis Societatis Tra-goessianae» inquirerent.

Grex visitatorum die 11^o m. Febr. a. 1930^o in Archiabbatiam Ottiliensem advēnit. Vespere eiusdem diei Visitatio Apostolica ab Archiabbate et ab illis

exoptatur, non parvā curā exspectant.»

- 4 Abbas Simon Landersdorfer (1880-1971) anno 1921^o electus est Abbas monasterii Schirensis et hōc in munere erat successor Abbatis Ruperti Metzenleitner (1849-1922). Munere autem Abbatis functus est usque ad annum 1936^{um}, antequam episcopus Passaviensis redditus est (1936-1968).
- 5 Schira: *Scheyern*. - Cfr Carolus EGGER: *Lexicon nominum locorum*. Romae 1977, p. 283.
- 6 Cfr epistula Fidelis von Stotzingen die 31 m. Ian. a. 1930 ad Thomam Spreiter missa (ASA, APr 595); Ann. Ottil., 11.2.1930 (ASO, A.3.4.4); Fidelis von Stotzingen die 7 m. Apr. a. 1930 ad Congregationem Religiosorum: Rapporto sulla Visita Apostolica fatta ai Monasteri della Congregazione di St. Ottilia dal 11 febbraio ad 12 marzio 1930, p. 1 (ASA, APr 574).
- 7 Abbati Simoni Landersdorfer anno 1928^o unā cum Treverico Abbate Laurentio Zeller a papa Pio XI visitationis munus monasteriorum Benedictinorum in Austriā sitorum traditum erat.
- 8 Cfr Chron. Ottil., 1.4.-16.6.1930; Ann. Ottil., 12.2.1930 (ASO, A.3.4.4); Fidelis von Stotzingen: Rapporto (7.4.1930), S. 1 (ASA, APr 574). - In epistulā suā die 31 m. Ian. a. 1930 ad Thomam Spreiter directā (ASA, APr 574) Fidelis von Stotzingen solum de duobus specialistis fiscalibus loquitur nomina non indicans.

duobus Abbatibus, qui eidem praeerant, ante Conventum sollemniter instituta est.⁹ Proximo autem die primae consultationes atque interrogationes incohabantur, ad quas etiam P. Adalricus Mühlebach atque P. Notkerus Mannhart ex Helvetico loco Uznaco, P. Ludgerus Breindl e monasterio Suarzacensi, ubi versabatur, vēnerant, et praeterea P. Linus Leberle e monasterio Meschetiensi¹⁰ advēnit.¹¹ Specialibus instructionibus habitis visitatores diebus 15^o et 16^o m. Febr. colloquia cum clericis atque Fratribus instituerunt.

Inde a die 17^o m. Febr. Fidelis von Stotzingen et Simon Landersdorfer commemorationem suam in monasterio Ottiliensi interruperunt, ut in officia sua visitatoria extra Archiabbatiam incumberent.¹² Primo breviter Dillingam se contulerunt, ut domum studiorum ibi sitam inspicerent, deinde statim Monacum vecti sunt, ut Collegium Ottiliense, in quo pars clericorum versabatur, inspicerent. Condiciones autem, quas in Collegio Ottiliensi invēnerunt, eis non ita placuisse videntur. Quamquam recessus specialis de domo Monacensi

9 Cfr Ann. Ottil., 11.2.1930 (ASO, A.3.4.4).

10 Mescheti: *Meschede*. - Cfr GRAESSE / BENEDICT / PLECHL: Orbis Latinus. Lexikon lateinischer geographischer Namen. Braunschweig 1971, p. 235.

11 De visitatione cfr ex. gr. etiam Cyrill SCHÄFER: Stella Maris (2005), pp. 165 sqq.; Hartmut MADL: Abt Coelestin Maier (1999), pp. 248 sqq.; Johannes MAHR: Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), pp. 169 sq. - Breviter visitationem commemorant Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter 2 (2002), p. 38; Frumentius RENNER: Norbert Weber. In: Adolf LEYER (ed.) (1976), p. 344; Cyrill SCHÄFER: St. Ottilien. In: Germania Benedictina 2 (2014), p. 1999; Cyrill SCHÄFER: Benediktinische Kongregationen. In: Manfred WEITLAUFF (ed.) (2008), p. 765; Godfrey SIEBER: The Missionary Benedictines of St. Ottilien (2016), p. 115.

Non nimis fusa commemoratio visitationis etiam invenitur in Chron. Ottil., 1.4.-15.6.1930. Cyrill SCHÄFER (2005), p. 164, adn. 366 iure meritoque existimat facto, quo haec visitatio inusitata in Chronicis ut ratio consueta tracatur («*Ad colloquia cum monachis usitata ...*» ibi legitur) et verae difficultates non non nominantur, hōc locō «*dubiam praestantiam historicam*» chronicorum demonstrari.

12 Secundum Decretum Vaticanum omnia monasteria Europaea Congregationis inviserentur. Hōc etiam spectabat ad domos ab ipsis dependentes. Tamen praeter Archiabbatiam solum Abbatiae Bavaricae Swikkersperchensis atque Suarzacensis unā cum domibus suis dependentibus visitationi subiectae sunt, non vero Prioratus simplex Meschetiensis. Haec condicio unā ex parte verisimiliter cum distantia satis magnā cohaerebat, sed alterā ex parte etiam cum facto, quod illud monasterium denique anno 1928^o conditum erat (cfr cap. 4.10.3.1.). Visitoribus sufficiebat colloquium cum illius loci Priore P.re Lino Leberle.

non exstat, hōc ex nonnullis decretis paulo post sequentibus apparet.¹³ Commoratione autem in domo Monacensi visitatores etiam usi sunt ad consultationes ultiores cum Archiabbate Norberto et cum P.re Aloisio Seibert, qui ex Vindobona illuc advectus erat, instituendas.

Plura officia maiora Abbati Primati atque Abbati Simoni in utrāque Abbatīā Bavaricā instabant. Primo autem Swickersperchium vecti sunt, ubi a die 23^o m. Febr. usque ad diem 26^{um} m. Febr. commorabantur.¹⁴ Effectūs colloquiorum atque inquisitionum duabus in relationibus descripti sunt. Primum textum satis brevem visitatores in notitiam Conventūs pertulerunt.¹⁵ Ibi iam in initio explicuerunt propter proprietatem visitationis generalis modo institutae, cui Congregatio esset subiecta, verum recessum conscribi non posse. Nam hanc visitationem a Sanctā Sede ut profundam relationem de statu Congregationis cogitatam esse, quā de causā eadem tunc denique prorsus finita foret, cum Abbas Primas a munere suo Delegati dimitteretur.¹⁶ Deinde primo sequebantur nonnullae adnotationes laudativae de progressū materiali Abbatiae Swickersperchiensis deque eius statū pecuniario. Tamen monachi monebantur, ne propter nimios labores exteriores vitam spiritalem neglegerent, quae magis excolenda esset.¹⁷

Scitū magis dignae tamen sunt explicationes, quae tantummodo Abbati

13 Fidelis von Stotzingen visitatione Collegii Ottiliensis habitā a Congregatione Religiosorum potestatem rogavit, quā monachos votorum temporalium, qui vocationem suam amiserant, dimittere ei liceret (scriptum Abbatis Primatis mense Martio a. 1930 ad Congregationem Religiosorum directa (ASA, APr 574)).

Praeterea visitoribus problema iam commemoratum iterum proponebatur, quo agebatur de benedictione sacerdotali, ad quam clericus quidam non admittebatur (*cfr* cap. 4.14.1 (1), adn. 44), et quod interea ad duos alios clericos extentum est. Fuse de hac difficultate in Annalibus refertur, etiam de inquietudine, quae propter hanc rem in Conventu Ottiliensi exorta est (*cfr* Ann. Ottil., 26.2.1930; 3.3.1930; 8.3.1930 (ASO, A.3.4.4)). Annalista existimavit hac re intranquillitatem nervosam iam vigentem maioratam esse.

14 In Annalibus, 25.2.1930 (ASO, A.3.4.4) chronologia visitationum Abbatiarum falso indicatur, nempe primo fuisse visitationem Suarzacensem, deinde Swickersperchiensem. Ann. Ott., 6.3.1930 (ASO, A.3.4.4) chronologia iterum quadrat.

15 *Cfr* Fidelis von Stotzingen: Visitationsbericht der Abtei Schweiklberg (23.2.-26.2.1930), 26.2.1930 (ASA, APr 586).

16 *Cfr* Fidelis von Stotzingen: Visitationsbericht der Abtei Schweiklberg (26.2.1930), p. 1 (ASA, APr 586).

17 *Cfr* Fidelis von Stotzingen: Visitationsbericht der Abtei Schweiklberg (26.2.1930), p. 1 (ASA, APr 586). - Memoratu dignum est hic denuo de taciturnitate deque silentio servando sermonem esse (p. 2), quarum observatio esset manca.

Coelestino Maier destinatae erant.¹⁸ Post brevem sententiam, quā de Abbatis meritis extraordinariis ad monasterii extentionem materiale[m] exterioremque spectantibus agebatur, tantummodo puncta critica sequebantur. Eadem spectabant ad statum internum communitatis, ad relationem inter Abbatem atque Conventum,¹⁹ ad se gerendi modum Abbatis,²⁰ ad ulteriorem formationem monasticam Patrum iuniorum, ad scholas Abbatiae, ad famam auctoritatemque Abbatiae apud episcopatum, apud clerum atque apud populum. Haec omnia tamen non erant nova, sed omnino eodem modo prolata erant ut effectus visitationis specialis, quae in Abbatia Swickersperchiensi anno 1928° inter Capitulum generale transacta erat.²¹ His duobus annis itaque nihil fundamentaliter mutatum erat.

Idem modus progrediendi deinde in Abbatia Suarzacensi exhibebatur, et hōc quidem inde a die 28° m. Febr. usque ad diem 3^{um} m. Mart. Etiam ibi duae relationes sunt exaratae. Primus textus vere brevis Conventui praelegebatur,²² et plenus laudis est. Nam ibidem leguntur haec: «*Visitatores nihil invenerunt, quod pro auctoritate muneris meliorandum vel praescribendum haberent.*»²³ Secunda relatio longior immediate ad Abbatem Placidum Vogel directa

18 Cfr Fidelis von Stotzingen: Privatissima Reverendissimo Domino Coelestino Maier Abbati Monasterii de Schweiklberg reservata, 26.2.1930 (ASA, APr 586). - Huic textui est quidem superscriptio Latina, sed ipse Theodisce scriptus est.

19 Cfr Fidelis von Stotzingen: Privatissima (26.2.1930), p. 1 (ASA, APr 586), ubi etiam legitur relationem inter Abbatem et communitatem non esse intimam neque fiduciae plenam, id quod non essent sequelae priorum omissionum, sed esset malum profunde inradicatum.

20 Conclusio, quam Abbas Primas ex hac re traxit, erat haec: «*Nisi mox mutatio fiet, serio pro tempore futuro monasterii timendum est.*» (Fidelis von Stotzingen: Privatissima (26.2.1930), p. 2 (ASA, APr 586)).

21 Cfr cap. 4.13.3.

22 Cfr Fidelis von Stotzingen: Rezess der Visitation gehalten zu Münsterschwarzach vom 28.2.-3.3.1930, 3.3.1930 (ASA, APr 594). - In initio huius textus ad verbum eadem sententia supra commemorata de proprietate visitationis legitur uti in recessu Swickersperchiensi.

23 Fidelis von Stotzingen: Rezess Münsterschwarzach, 3.3.1930 (ASA, APr 594). - Duo puncta tamen breviter monebantur, nempe taciturnitatem esse observandam et unitatem familiae monasterialis magis esse observandam (hoc spectat ad factum, quo pars quaedam communitatis adhuc in moasterio Sancti Ludovici vixit).

erat.²⁴ Etiam ibidem primo laus magna invenitur, quam nonnullae adnotationes criticae atque commendationes sequuntur. Imprimis agebatur de nimis laborandi oneribus confratrum, de administratione Abbatiae eiusque domuum dependentium coniungendā et de problemate eruditionis monachorum futurorum.²⁵

Visitationibus duarum Abbatiarum Bavaricarum factis, quae plus minusve satisfaciētes erant, Abbas Primas Fidelis atque Abbas Simon Schiram vecti sunt, ubi verisimiliter de cognitionibus suis disputaverunt et relationes de Archiabbatiā definitivas praeparaverunt. Denique die 9^o m. Martii in Archiabbatiam Ottiliensem reverterunt, quo etiam secretarii eos sequebantur, qui antea Vindobonae versati erant. Item Abbas Placidus Vogel atque Abbas Coelestinus Maier ad ultimas consultationes instituendas vērunt.²⁶

Die 12^o m. Mart. a. 1930^o denique in eo erat, ut Abbas Primas Abbate Simone Landersdorfer Archiabbateque Norberto Weber praesentibus Conventui visitationis recessum ei destinatum praelegit.²⁷ Explicationes relative longae in duo puncta principalia sunt divisae. Primā parte agebatur de problematis disciplinariis monasticisque in Archiabbatiā vigentibus.²⁸ Aspectus magni momenti hac in re erat necessaria renovatio atque progressus vitae spiritalis,

24 Cfr Fidelis von Stotzingen: Privatissima Reverendissimo Domino Placido Vogel Abbati Monasterii de Münsterschwarzach reservata, 3.3.1930 (ASA, APr 594). - Etiam huius relationis superscriptio est Latina, textus ipse vero Theodisce scriptus.

25 Cfr Fidelis von Stotzingen: Privatissima (3.3.1930), p. 3, III (ASA, APr 594). Ibidem etiam invenitur adnotatio, quā dicebatur, simulatque condiciones permetterent, Congregationis communem domum studiorum instituendam esse. Eandem tunc omni disciplinā regendam esse a Patribus diligenter electis peritisque

26 Illis diebus in Archiabbatia Ottiliensi iam rumores et suspensiones de eventibus visitationis possibilibus ferebantur, qui quaeve - ut annalista scripsit - «*a quibusdam «confecloribus negotiorum» (extra-officialibus)*» prolati sunt (cfr Ann. Ottil., 10.3.1930 (ASO, A.3.4.4). Illis prophetiis «scientiae plenae» verisimiliter - sicuti talibus in rebus esse solet - nullum fundamentum in re erat.

27 Cfr Fidelis von Stotzingen: Visitationsrecess 11.2.-12.3.1930, 12.3.1930 (ASA, APr 574). - Statim in initio recessus invenitur - sicuti etiam in relationibus Swickersperchiensi atque Suarzacensi - adnotatio, quā dicebatur hanc visitationem sub condicionibus specialibus fieri et denique prorsus finitam esse, simulatque Roma Abbatem Primatem ex munere Delegati dimisisset. Itaque annalista quōque scripsit illo die visitationem «*finem ad tempus factum*» habuisse (Ann. Ottil., 12.3.1930 (ASO, A.3.4.4).

28 Hōc punctō tres paginae recessus complectuntur. - Cyrill SCHÄFER (2005), p. 165 scribit ibidem «*tantummodo quaedam negligentiae disciplinares*» moneri. Tamen explicationes Abbatis Primatis multo ampliores atque multo profundiores sunt.

cum quaedam condicio exorta esset, quā vita monastica magis ad res exteriores spectaret atque eadem non satis profunda esset. Speciale momentum Abbas Primas posuit in monasticā vitā familiari, quae in monasterio Ottiliensi esset turbata. Loco spiritūs familiaris non licere poni egoismum atque diffidentiam invicem exhibitam. Interdum defuisse spiritum abnegationis, qui esset fundamentum huius spiritūs familiaris. Imprimis necessarium esse, ut omnes participarent preces communes in choro. Ut videtur, hae preces communes a multis neglegebantur, quia Abbas Primas statuit, ut in futurum omnes huiusmodi dispensationes essent abolendae. Item postulandum esse, ut monachi omnia exercitia regularia participarent. Punctum maximi momenti, quod attinebat ad disciplinam monasticam, Abbati Primati erat taciturnitas monasterialis, quae secundum eius sententiam in monasterio Ottiliensi male observabatur. Tamen hac in re ei non agebatur de communicatione generaliter habendā, sed de «blatteratione non moderatā» sic dicta intra monasterium.²⁹ Praesertim «arcana familiae» non servare condemnandum esse ei videbatur, id est hominibus laicis externisque res internas monasterii communicare.

In secundā parte recessūs Abbas Primas monachis dedit conspectum satis distinctum de condicione difficillimā in praedio silvestri Tragoessiano et hunc in modum de statu pecuniario Archiabbatiae, qui cum hac re cohaerebat.³⁰ Sed etiam demonstravit, qualia consilia essent capta, ut sanatio fieri posset, tamen ostendens, quales difficultates nihilominus exoriri possent. Haec enuntiata Abbas Primas et ut informationem proponebat et versisimiliter Conventum etiam aliquatenus pacare voluit, cum diceret illis inceptis «*spem*

29 Fidelis von Stotzingen: Visitationsrezess (12.3.1930), p. 2 (ASA, Apr 574). Ibidem leguntur haec: «*In aliquo monasterio, in quo taciturnitas non fideliter observatur, fieri non potest, quin mussitatio atque critica, detrectatio caritate carens confratrum et perlatio repudianda enuntiatorum negativorum non exoriantur. Talis modus internam pacem cordis et pacem confratrum destruet. Proh dolor interdum his in punctis deficientia animadvertebatur.*» (Textus originaliter Theodiscus).

30 Cfr Fidelis von Stotzingen: Visitationsrezess (12.3.1930), pp. 3 sqq. (ASA, Apr 574). - Cfr Cyrill SCHÄFER (2005), p. 165 cum adnotatione brevi de hac parte recessūs. - Breviter de hac re etiam Ann. Ottil., 12.3.1930 (ASO, A.3.4.4). Scitū dignum est annalistam hōc locō adnotavisse tali summa debitorum non esse sperandum fore, ut in condicione sanandā esset via omnino certa atque curae statim amoverentur. Tamen praeterea addidit haec: «*Sed mihi est magna sollicitudo, ne aequilibrium internum consilio effectūque sanationis nondum sit restitutum. Haud paucis est sensus fortis atque desiderium iustitiae et iustitiae perpetrandae.*» (Textus originaliter Theodiscus).

*satis firmam esse fore, ut condicio difficilis feliciter superaretur».*³¹ In summā Conventui, quod attinebat ad Abbatis Primatis existimationem statūs interni communitatis, non erat causa nimii gaudii.³²

Tamen summi momenti erat finalis relatio Abbatis Primatis Delegatique Apostolici, quam de eventibus inspectionis diligentis atque funditus factae eiusque sequelis ad Congregationem Religiosorum misit.³³ Prolixus autem textus duodecim paginarum die 7^o m. Apr. a. 1930^o ad Congregationem Religiosorum directus est. Ipsa vero relatio divisa est in duas partes principales et incohatur a statū pecuniario Archiabbatiae atque a progressū problematis Tragoessiani.³⁴ Archiabbatiae Ottiliensis onus debitorum, quae illo temporis momento erant, indicabatur esse 7.400.000 scellinorum Austriacorum, cum totus valor Archiabbatiae constaret in 8,4 milionibus scellinorum, qui tamen difficulter acquiri possent. Magnitudinem debitorum exortam esse ex praedio silvestri nimis exaggerato pretio empto et ex aere alieno propter

31 Fidelis von Stotzingen: Visitationsrezess (12.3.1930), p. 5 (ASA, APr 574). - Etiam Cyrill SCHÄFER (2005), p. 165 existimat Abbatem Primate hanc partem ad animos pacandos protulisse.

32 Johannes MAHR: Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 169 asseverat relationem visitationis die 28^o m. Apr. a. 1930^o divulgatam iram apertam provocavisse, cum eādem vetaretur intra familiam monasterialem de problematis sermonem fieri. Sed haec sententia secundum fontes non omnino intellegitur. Nam unā ex parte textus scriptus relationis ad Conventum spectantis videtur ad Archiabbatiam non pervenisse (itaque etiam non divulgatus). Sub commemorato die 28^o m. Apr. a. 1930^o in Annalibus tantummodo legitur monachos iam diu expectare annuntiatum recessum visitationis definitivum allatum iri, sed P.rem Leandrum Bopp explicuisse proprium recessum verisimiliter non iam esse expectandum (cfr Ann. Ottil., 28.4.1930 (ASO, A.3.4.4). P.rem Leandrum certe recte dixisse iam apparet ex sententiā initiali relationis factae. Hōc locō in Annalibus etiam de «ira» non fit sermo. Talis ira revera iam relatione praelectā manifestari debuit. Tamen etim sub die 12^o m. Mart. a. 1930^o in Annalibus nulla notitia de hac re invenitur. Nihilominus monachorum incertitudo interna de totā condicione in Annalibus ubique animadvertitur. - Alterā ex parte in recessū problema taciturnitatis saepe non servatae (et intra monasterium et extra idem) clare quidem indicatur - sicuti in relationibus Swickersperchiensi atque Suarzacensi -, sed visitoribus hōc in conexū agebatur de generali se gerendi modo monastico, non specialiter de quaestione Tragoessianā (etiāmsi de eādem quōque cogitabatur).

33 Cfr Fidelis von Stotzingen an Religiosenkongregation (7.4.1930): Rapporto sulla Visita Apostolica fatta ai Monasteri della Congegazione di S. Ottilia dal 11 febbraio al 12 marzo 1930 (ASA, APr 574). - De hac relatione cfr etiam Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 165 sq., qui paulo fusius in eandem incumbit.

34 Cfr Fidelis von Stotzingen: Rapporto (7.4.1930), pp. 2 sqq. (ASA, APr 574).

malam administrationem praeterea assumpto. Abbas Primas hōc in conexū adnotavit quidem Congregationem Religiosorum aeri alieno assumendo assensam esse, sed addidit eandem falsis informationibus ad assensionem adductam esse. Hunc in modum illam Congregationem ab opprobrio liberavit eam quōque in culpa progressūs periculosi fuisse. Quamquam intellegitur, cur Abbas Primas hōc tali in relatione protulerit, tamen interrogari potest, num etiam Congregatio Religiosorum aliquatenus neglegenter egerit.³⁵

Fidelis von Stotzingen deinde incubuit in varia incepta Archiabbatiae, quibus ab aere alieno solvi conata est. Hōc in conexū contractus lignorum caedendorum atque officina Reichraminger specialiter commemorantur,³⁶ quibus decoctio Archiabbatiae Ottiliensis ad tempus arceri potuisset. Scitū autem digna est existimatio illius contractūs ab Abbate Primate prolata, ad quam iudicio peritorum, id est illorum duorum secretariorum, perductus est. Putavit enim illum contractum lignorum caedendorum non solum esse utilem, sed etiam necessarium, ut monasterium servaretur.³⁷ Hac in existimatione tamen diiudicatio etiam potest esse alia. Nihilominus Abbas Primas quōque confiteri debuit computationes quidem esse solidas - nisi calamitas inexpectata fieret vel nisi tanta copia lignorum caedendorum, ut exoptabatur, concederetur. Saltem ultimam condicionem improperam futuram esse secundum statum rerum praevideri potuit.

Magni autem momenti nunc sunt rationes, quas visitatores proposuerunt, ut Archiabbatia quoad statum materiale servaretur.³⁸ Imprimis atque urgenter putaverunt necessarium esse, ut commissio quaedam nummaria, quae dicitur, ut organum supremum administrationis Ottilianae institueretur.³⁹ Nam existentiam Archiabbatiae Congregationisque de administratione bonā depende-

35 *Cfr* cap. 4.13.1.

36 *Cfr* cap. 4.13.4 et supra 4.14.1.

37 *Cfr* Fidelis von Stotzingen: Rapporto (7.4.1930), p. 4 (ASA, APr 574). - Secundum sententiam peritorum ille contractus optime in emolumentum monasterii erat factum. Etiam in recessu visitationis (12.3.1930), p. 4 (ASA, APr 574) contractus lignorum caedendorum opportunum esse existimabatur.

38 *Cfr* Fidelis von Stotzingen: Rapporto (.7.4.1930), pp. 5 sqq. (ASA, APr 574).

39 *Cfr* Fidelis von Stotzingen: Rapporto (.7.4.1930), p. 5 (ASA, APr 574). - Etiam in recessū visitationis (12.3.1930), pp. 4 sq. (ASA, APr 574) commissio nummaria instituenda commemoratur. Ibīdem praeterea legitur illi commissioni de omnibus expensis extraordinariis, quae 10.000 marcarum transeunt, decernendum esse (etiāsi iura Conventūs atque Senioratūs non tangerentur). Tamen interrogandum est, quantopere iidem sub his condicionibus iura sua revera exercere potuerint.

re, quae usque tunc defecisset. Ut futuri sodales ordinarii commissionis nummariae provisi erant Delegatus Apostolicus sive eius vicegerens, Archiabbas, Abbates monasteriorum Suarzacensis atque Swickersperchiensis, repraesentans quidam Conventus Ottiliensis, praeterea munere consultatorio fungentes uterque cellerarius Ottiliensis et tres viri periti non monastici, nempe pro rebus nummariis, pro rebus administratoriis atque pro quaestionibus iuridicis. Huic commissioni tertio quoque mense conveniendum erat. - Ut debita atque usurae pro certo solvi possent, summa pecuniaria 100.000 marcarum provisa est, cuius dimidiam partem Archiabbatia erogare debuit, alteram dimidiam partem Abbatiae Suarzacensis atque Swickerspechiensis. Praeterea propter nimias usuras priorum pecuniarum creditarum studendum erat, ut alia pecunia creditoria minoribus usuris praedita acquireretur.⁴⁰

Scitū dignum hōc in conexū praeterea etiam est visitatores putavisse opportunum atque necessarium esse, ut P.ri Ludgero Breindl poena quaedam daretur, cum ei ut illius temporis cellerario culpam principalem attribuendam esse existimarent, quod illud praedium silvestre effectū periculosissimo emptum esset (etiamsi ille hōc voluntate bonā fecisset).⁴¹ Decreto autem Delegati Apostolici, quod die 16^o m. Mart. a. 1930^o datum erat, P. Ludgerus Breindl quibusdam sanctionibus subiectus est. Textus vero huius decreti est hic:⁴²

«Cum R.P.D. Ludgerus Breindl, monachus Archiabbatiae Ssmi Cordis Iesu de St. Ottilien O.S.B., officii cellerarii anno 1927/28 fungens, huic monasterio et toti Congregationi Ottiliensi maximum damnum oeconomicum intulerit, ipse reus est delicti et ad normam can. 2222, § 1 puniendus. Itaque vigore facultatis per Decretum S. Congr. de Religiosis, diei 23 Ianuarii 1930 N. 7567/29, nobis tamquam Delegato Apostolico commissae, ipsum R.P.D. Ludgerum Breindl in poenam privamus per annum voce activa et passiva, et in perpetuum inhabilem declaramus ad munus cellerarii denuo suscipiendum; insuper in poenitentiam ipsi iniungimus, ut quam primum per duas hebdomadas continuas in aliqua domo religiosa a Superioribus designanda exercitia spiritualia peragat.

Licet poena in proportionem ad damnum illatum per se deberet esse multo gravior, ipsa tamen ita temperata est, quia delictum delinquenti non ex toto

40 Hanc vero cogitationem Ottiliani ipsi iam antea habuerant.

41 Cfr Fidelis von Stotzingen: Rapporto (7.4.1930), p. 7 (ASA, APr 574).

42 Decretum a Delegato Apostolico die 16 m. Mart. a. 1930 exhibitum (ASA, APr 574). - Textus originaliter Latinus.

imputari potest, praeterea quia reum de delicto commisso valde poenitet, ipse prima vice delictum commisit, et iam emendatus est.

Datum ex Archiabbatia Ssmi Cordis de St. Ottilien,

die 16 Martii 1930

Delegatus Apostolicus

Fidelis von Stotzingen

Abbas Primas O.S.B.»

P.ri Ludgero Breindl itaque ad tempus electionis ius activum atque passivum demptum est et insimul umquam iterum munus cellerarii suscipere ei vetitum est. Poena ipsa tamen non ex voluntate arbitrariā Abbatis Primatis pendebat, sed fundamentum habuit in iure canonico, quod expressis verbis attulit.⁴³ Paululum hic modus progrediendi fortasse desiderio iustitiae, quod multi monchai Ottiliani senserunt, satisfecit, quamquam certe non sufficebat.⁴⁴

SIGRIDES ALBERT

[VOX LAT. 225, 2021, pp. 359-369]

43 CIC (1917), can. 2222, § 1: «Licet lex nullam sanctionem appositam habeat, legitimus tamen Superior potest illius transgressionem, etiam sine praevia poenae comminatione, aliquo iusta poena punire, si scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat; secus reus puniri nequit, nisi prius monitus fuerit cum comminatione poenae latae vel ferendae sententiae in casu transgressionis, et nihilominus legem violaverit.

44 De hōc desiderio *cfr* supra adn. 30.